



I

PRÆFATIO.

Sunt quidem propè infinita vastissimæ Jurisprudencie Objecta, attamen ea, quæ momenti cujusdam videri poterant (si particularissima excipias) per sedulam Juris-Consultorum operam jam tractata & retractata fuerunt; Hinc Tyroni maximè, cui particularem quandam Dissertationem non describere ex aliis, sed propriis (quantum fas est) viribus elaborare animo est, etiam inter tot & tanta difficilis aliquantum optio videtur ; optandum tamen erat mihi, dum Consuetudini Universitatis hujus satisfacere cogitabam, præsentem igitur de Jure & Obligatione prohibitionem Librorum positivam concernente materiam selegi : Etiam hæc nova non est, & à pluribus jam examinata (a); attamen pro temporum nostrorum circumstantiis novâ Consideratione non indigna, si verum est, quod Experienciâ abundanter discimus, prohibitionem ejusmodi ab aliquibus pa-

A

rum

(a) Vid. BOEHMER. J. E. P. Tit. de hæret.



rūm respici, aut planè contemni, aliis econtrariò an-
sam vani timoris & scrupulorum' esse ; pars eorum
eò libentiùs perlegit Scripta, quò sunt prohibita ma-
gís, ferturque singulari quādam curiositate , myste-
ria per similes prohibitiones injustè (utl creditur)
sibi abscondita p̄vestigandi : adeò quippè verum est :

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.

Atque hoc etiam adeò efficaciter verum est , ut
non exiguum in ipsa Librariorum commercia influ-
xum habeat ; Sæpiissimè enim eorum impressorum
plurima videmus Exemplaria, quæ vel prohibita sunt,
vel probabiliter prohibenda ; divites se credunt,
qui bus libri hujus fortis impressio commissa est.
Imò eò quorundam progreditur astutia , ut , si eti-
am intacta alias manerent Viri eruditi Scripta, ipsi
de conciliando quodam contra illa odio , movendâ-
que super periculose aliquatenus tenorem suspicio-
ne solliciti sint, confidentes, se per mercaturam ini-
quitatis obtenturos, quod sine hac sperare non licet.

Sed quantum est excessū ex unā, tantum est de-
fectū ex alterā parte ; alii enim ob timorem prohi-
bitionis, ubi talis non est, utilissimorum , imò subin-
de ad acquirendam Scientiam solidam indispensabi-
liter

liter necessariorum Librorum lectionem omittunt, sub
prætextu Religionis ignorantiam amant, & in scrupulis suis commodam ignorantiae suæ excusationem
quærunt.

Hæc cùm ita sint, operæ pretium esse non dubitavi, præfatam materiem paulò accuratiùs exponere:
utile esse duxi, si illæ veritates publico noviter sub-
mitterentur, quæ, quia jam antiquæ sunt, contem-
ptui & oblivioni se saltem approximare videntur.
Utrum hic & nunc ad veritatum istarum confirma-
tionem vel illustrationem aut faciliorem earum co-
gnitionem quid ex meo attulerim, de hoc benevolus
Lector judicabit.

Mihi perinde est, an à me, an ab aliis veritates
istæ, earumque rationes detectæ & propositæ dicantur,
dummodo finem meum attingam, dummodo
ad communem felicitatem vel parum conferam. Hoc
ut fiat, 1^{ma} Juris Librorum prohibitionem positivam
concernentis Fundamenta, Extensionem & Limites,
2^{da} Obligationis inde venientis mensuram determi-
nabo, si illi, quorum jus hic examinatur, inde co-
gnoscere possint, quod in exercitio potestatis suæ
vel nimis rigidi, vel tepidi sint, si subditis debitam
Legibus Librorum prohibitivis æstimationem & re-

verentiam inspiravero, si eos, qui circa obligationem
sibi inde resultantem vel ignorantes vel dubii sunt,
desuper certos reddidero, finem meum satis feliciter
consecutus sum.

Ut ordinatè procedam, totam materiam in tres
Sectiones dividam: In prima Generalia de Libris, in
quantum hæc ad intelligentiam subsequentium quid
conferre poterunt, præmittam: In secunda de Jure
Libros lege positivâ prohibendi: In tertia de obliga-
tione ex prohibitione eorum positiva proveniente
pro viribus tractare conabor.

Si forte Regulas methodi, quam amplexus sum,
non satis pressè secutus fuero, discipulum me in hoc
genere sinè Magistro, si materiam pro sua dignitate,
aut juxta Beneplacitum tuum B. L. non exhausero,
exercitationem istam laborem Tyronis esse
cogita. Sic vale & fave labori,

